

CAPUT X.

Analysis versus decimi tertii. Legem hic intelligendam, datam Adamo. Afferitur vulgata lectio.

SEQUITUR VERSVS XIII. Nam usque ad legem peccatum erat in mundo. *Usque ad legem: intellige legem Dei datam uni illi homini Adamo: per ea quæ jam dicta sunt, & quæ dicentur inferius. Usque ad legem inquam illam, peccatum erat in mundo. Adde verò, vel subaudi: Et per peccatum mors etiam erat in mundo. Voluit scilicet Apostolus, peccatum & mortem fuisse in mundo, usque ad legem Dei; sive usque ad transgressionem legis illius divinæ, quam unus homo ille Adamus violavit: Nullum jus tamen habuisse in mundo, ut illius dominium & possessionem invaderent, & in illo tyrannidem occuparent. Rationem reddidit hanc: quia.*

Peccatum non imputabatur non existente lege. Quod idem est atque si dixisset Apostolus. *Ante legem Dei, sive usque ad legem illam Dei quam violavit homo ille Adamus, peccatum & mors erant in mundo: nullum jus tamen in eo usurpaverant, nulla eis erat in possessione mundi legitima collocatio, nullum ejus legitimum dominium. Ratio est, quia ante illud tempus lex nulla data erat à Deo. Lex enim Dei sola illa fuit, cujus transgressio peccati imputationem effecit, & mortis regnum constituit: quæ reatum induxit peccato, & mortem instituit pœnam istius reatus: quæ peccatum fecit imputatum, mortem ulciscentem & regnantem.*

Legendum verò est hoc loco: Peccatum non imputabatur; quamvis recentiores versiones habeant: Peccatum

tum